



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

68. Refutatio quorundam cuiusdam Caluinistae circa Episcopatum S.  
Willibrordi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

Refutatio quorundam cuiusdam Calvinistæ  
circa Episcopatum S. Willibrordi.

**C**irca Archiepiscopalem inuestituram S. Willibrordi à Sergio Papa petitam & obtentam plurima regerit quidam Caluino-batauus contra P. Franciscum Costerum inde tanquam ex caractere probantem S. Willibrordum Romanæ Ecclesiæ Catholicæ, non Gebennensis Synagogæ cultorem egisse.

1. Eum concionatum fuisse docuisseque inter Frisios antequam esset consecratus & à Sergio missus.

2. Quandoquidem ille vellet fieri Archiepiscopus & monachismum relinquere, necessariam fuisse ei illam consecrationem eo quod Pontifex Romanus iam ab aliquot annorum centurijs vi obtineret & possideret magnitudinem Occidentalis Ecclesiæ eiusque sine nutu ac imperio nullus posset creari Archiepiscopus.

3. Accedit quod Pipinus Princeps coegerit aut importunè illum adegerit ad consecrationem obtinendam, in signum aliàs illum sponte nunquam fuisse illam expetiturum aut existimaturum ad instructionem & conuersionem Frisix esse necessariam. Vana, intricata hæc sunt & responsione vix digna. Nos tamen tam ad elucidationem actuum Apostoli nostri, quam ad obstruendum os calumniantium, circa singula dicemus.

Primum impertinens est, nam S. Willibrordus Archiepiscopales infulas non petijt, nec accepit ut predicandi potestate frueretur, quâ quinque iam annis erat donatus, sed ut Episcopalia officia in Frisia exerceret. Deinde inunctus maiori robore, ampliori autoritate verbum  
Dei



Dei deprecandi à Sergio emittebatur. Lege differt. 58.

In 2. Mendacia, iniuriæ, tot poenè sunt quot verba. S. Willibrordum appetijſſe, ambiſſe dignitatem & munus Episcopale, virum humillimū, nulli officio humilitatis secundum, lauta patria egressum, inter Barbaros nil præter contumelias, verbera, pericula sudores expectantem. Nihil ægrius Sanctis auditur quam dignitatum ambitus; nihil illorum sanctitatem magis deturpat. Imo nec sanctus, nec virtuosus talis competitor esse potest. In Regula rectè namque diuus August. *Alia quippe iniquitas in malis operibus exercetur ut fiant, superbia vero etiã bonis operibus insidiatur ut pereant.* Sic Beatissimi viri Gregorius, Basilius, Chrysoſto: Nicolaus, Martinus alijque dum ad Episcopatus fastigia quærentur, omni studio refugerunt, in silvas, in speluncas, sepulchra, mandras sese abdentes. Ait D. August: *In quo loco sciebam non esse Episcopum, ne illò accederem cauebam; & hoc agebam quantum poteram ut in loco humili saluarer, ne in alto periclitarer.* An hæc exempla non sint lecta Willibrordo? an non ipsi lectum illud eiusdem? *Nihil esse in hac vita & maxime hoc tempore facilius & latius & honorabilius acceptabilius Episcopi aut presbyteri aut Diaconi officio si perfuntoriè atque adulatoriè res agatur; sed nihil apud Deum miserius & tristius & damnabilius. Item nihil esse in hac vita & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi aut presbyteri aut Diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius si eo modo militetur quo noster Imperator iubet.* Hoc ipsū, inquit, Willibrordus de se confidebat. Verum hoc nimium est præsumptum & à viro pio non minus alienum, qui cum humili Iobo veretur omnia opera sua. Faceſſat itaque cum sua ambitione Calvinista. Instanti consilio & persuasione, non coactione Pipini primorumque virorum, licet multum renitens, Episcopatum suscepit, non seipsum intrusit. Accepit  
charitate



charitate fraterna conuictus, inclinatus amore iuuandi  
Dei Ecclesiam cui hoc ministerium erat necessarium, non  
cupiditate terreni honoris.

## DISSERTATIO LXIX.

An Willibrordus suscipiens Episcopatum  
deseruerit aut deserere voluerit  
Monachismum.



**I**N eodem secundo puncto habet vo-  
luisse illum Archiepiscopum fieri &  
monachismum relinquere, quasi vo-  
luerit Archiepiscopus esse vt mona-  
chismum deponeret & Archiepisco-  
pum fieri, sit monachismum deserere.  
Antea dixerat, monasteria nihil aliud  
esse quam litterarum scholas & mo-  
nachos tantum fuisse studiosos scholæ addictos vt in præ-  
dicatores gentium exirent; consequens inde debebat esse  
Willibrordum cum post ascetica Hybernica Frisijs præ-  
dicaret, monasterium & monachismum reliquisse. Cur iam  
dicitur nondum reliquisse, sed velle relinquere? adhuc  
studiosus erat tantus gentium Doctor? aptabatur ad præ-  
dicationem qui iam fere sex annis prædicauerat? Adhuc  
collegium ipsi tamquam testæ suæ limax adhebat ad  
gentium instructionem formando, ei qui iam omnibus à  
scientia, à pietate, à prudentia, prælatus, communi viro-  
rum voce in Archiepiscopum eligitur? Vide quomodo  
hæc cohæreant: quo falsitas mentem ducat, vltro ne te  
veritatem fateri cogit sensus communis, propria consci-  
entia, aliud fuisse monasteria, aliud monachos, religio-  
sos

G g

fos